

tati partim artis antiquitate & sublimitate, partim etiam allecti utilitate & necessitate. Græci, postquam in artis possessionem venerunt, nihil intentatum reliquerunt. Horum qui fuerunt conatus, qui progressus, cum ex alijs, tum ex Plinio videre est. Plura hic quamuis memoratu digna breuitatis causa non addo. Inter Monarchas verò, ut iure primum locum obtinet C. JULIUS CAESAR, ita inter eos qui non tantum priuatim se his studijs oblectarunt, sed & usum horum publicum atque communem effecerunt, haud postremo loco numerandus est. Is etiam occupatissimus non in leuibus & ludicris rebus, sed in serijs & ad incolumitatem Imperij pertinentibus, hisce studijs se oblectauit, ut ipse de se in quodam Poëta.

————— media inter prælia semper  
stellarum, coeliq̄ue plagis, superisq̄ue vacauit.

Magno sanè & memorabili exemplo suo docens, non tantum quibus in rebus occupari oporteat reges ac magnos principes, verum etiam quibus rebus animum curis fessum recreare conueniat. Idem, quanquam rebus suis præclarissimè gestis consecutus esset maximam & immortalem gloriam, tamen hac maiorem fore eam, quam datura esset Fastorum emendatio, animo presagijt, cum apud eundem Poëtam dixit:

Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.

Neque sanè animus eum fefellit. haud enim negari potest, eum hac anni emendatione plus laudis ac gloriae apud posteritatem obtinuisse, quam omnibus suis victorijs. nam quòd rebus præclarissimè gestis Romanum Imperium auxit, quòd Monarchiam constituit, & plura alia tanto Monarcha digna gessit, propriè ad ipsius & populi Romani gloriam pertinuit. Quòd autem annum Romanum perturbatum & confusum, in ordinem redegit, & correxit, et si ea re præcipuè de patria benè mereri voluit, tamen utilitas huius emendationis, & gloria quæ hanc consequuta est, longè lateq̄ sparsa fines Imperij transcendit, ut in hunc usq̄ diem ab aliquot seculis CAESARIS memoria, non tam in scriptorũ libris vigeat, quam in ore hominũ versetur. Huic non immeritò succedit proximè Castilia atq̄ Hispaniarũ rex ALFONSUS C. Iulij Caesaris haud dubiè exemplo excitatus. Is cum intellexisset ex artificib. non usq̄ adeò sibi constare motuum Doctrinam, in Tabulas, quæ ab ipsius nomine ALFONSINAE denominatae sunt, ad quadraginta millia aureorum impendit. Exprobratum est ipsi, cum impensius huic rei incumberet, quòd occupatior esset in rebus Mathematicis, quam in regni administratione. Sed fuisse sanè occupatior in hac, quam in illis, quis tamen fortassis iam nosset ALFONSVM fuisse aliquando regẽ Castiliae atq̄ Hispaniarũ, nisi Tabulas illas posteritati reliquisset? Jam verò constat non tantum, quis aliquando fuerit ALFONSUS, verum etiam quantum fuerit ipsius de posteritate benè merendi studium. Quod igitur ipsi fuit commune cum antecessoribus, reliquit successoribus: proprium verò quod habuit, ad posteritatem transmisit. Post ALFONSVM,